

ARTICULUS III

Utrum operationes vegetativæ in homine sint rationales an solùm naturales?

35. Errores. Scaliger et Stahl contenderunt corpus vitam habere ab animâ rationali, præcisè quatenus rationali, et operationes vegetativas, in homine, rationales esse, non autem naturales, sicut in viventibus ratione carentibus. At dicendum est corpus ex animâ quidem rationali vitam habere, non tamen mediante ratione, sed organicâ potentiâ quam vegetativam vocant.

36. Assertio: *Operationes vegetativæ in homine non sunt rationales, sed naturales.*

Probatur 1° directè. Ex dictis supra (n. 8) operationes specificè distinctæ promanare haud queunt ab unâ eademque potentiâ. Atqui operationes vegetativæ et operationes rationales sunt specificè distinctæ, cùm priores ad corpus ordinentur, et corporeis organis perficiantur, posteriores autem referantur ad immateriale, nec ullis utantur organis, ut infra stabilietur.

2° Indirectè; si anima nostra, quâ rationalis, vegetativas operationes in corpore exerceret, aut iis quodammodo dominari, aut saltem earum conscientiâ frui deberet; nam rationales operationes voluntatis imperio subjacent, caduntque sub conscientiæ apperceptionem. Porrò in vegetativas operationes imperium non habet anima, nec earum conscientiâ fruitur.

CAPUT II

DE POTENTIA SENSITIVA

Cùm inquisitio de potentiâ sensitivâ magni sit momenti, et a recentibus philosophis longè aliter atque a doctoribus nostris intellecta, eam ad examen diligentius, quantum licebit, revocandam curabimus. Hinc dicemus: 1° de sensatione universim consideratâ; 2° de sensibus externis; 3° de sensibus internis.

ARTICULUS I

De sensatione universim consideratâ.

37. Potentia sensitiva definiri potest *ea quæ percipit res materiales, quatenus materiales et singulares.* Ad eam explicandam, dicendum est: 1° de objecto sensationis; 2° de illius subjecto; 3° de illius naturâ; 4° de illius actu.

§ I. — De objecto sensationis.

Sensationis objectum *sensile* nuncupatur, propterea quòd sub sensus cadit et ab iis percipitur.

38. Assertio: *Corporeæ qualitates proprium sunt sensationis objectum, per accidens autem ipsa corporea substantia.*

PROB. 1ª PARS, quia quisque sibi conscius est se non sentire aliquid nisi materiale seu extensum. Præterea, experientiâ constat sensatione directè percipi varias qualitates materiales, v. g. colorem, calorem, sonum, odores, figuram et alias id genus proprietates.

PROB. 2ª PARS contra Reidium, Rosminium et Giobertium,

qui asserunt substantiam nullo pacto a sensibus, sed a solo intellectu apprehendi posse.

At verò, sensatione percipimus qualitates corporeas ut concretas ac singulares; v. g. visus percipit *istum* colorem, sive *istud* coloratum. Porrò qualitates non sunt concretæ ac singulares, nisi quia concreto subjecto, vel determinatæ substantiæ *inhærent*. Ergo sensatione percipiuntur, directè quidem qualitates corporeæ, *indirectè* autem, sive per consequens et per accidens, sub confusione quadam, ipsa substantia, in quâ inhærent (1).

Cæterùm, hujusmodi perceptio nihil præfert intellectualem, siquidem non attingit substantiam corpoream in suâ *essentiâ*, sed eam solùm apprehendit ut *subjectum* quoddam, cui insunt corporeæ qualitates. Porrò sic inspecta singulare quiddam et *physicum* exhibet.

39. Scholium de objectorum sensilium divisione. Ex vario modo quo se habent ad sensus, res sensiles dividuntur a scholasticis in sensilia *propria*, *communis* et *per accidens*. Sensile *proprium* dicitur quod ab *uno* tantùm sensu apprehenditur, et quod *per se* et *primò* sensum afficit: v. g. color relativè ad visum, sonus relativè ad aurem, et sic de calore, odore ac sapore relativè ad tactum, olfactum et gustum. — Sensilia *communis* sunt quæ a *pluribus* sensibus possunt attingi, et quæ *per se*, at *non primò* agunt in sensus; ea sunt quinque numero, videlicet *magnitudo*, *figura*, *motus*, *quies* et *numerus*. Sensibilia ista profectò in sensum agunt, quia v. g. sensus magis afficitur a magnâ quàm a parvâ superficie; nec tamen primò in sensum agunt, sed ratione sensilium priorum, quorum actionem modificant, ut patet allatis exemplis (2). — Demum sensibile *per accidens* illud est quod nec primò,

(1) Ad rem S. Thomas: « Non objectum *per se* sensus est substantia et quod quid est, sed aliqua sensibilis qualitas, puta calidum, frigidum, album, nigrum, et alia hujusmodi. Hujusmodi autem qualitates afficiunt singulares quasdam substantias, in determinato loco et tempore existentes; unde necesse est quòd hoc quod *sentitur* sit *hoc aliquid*, scilicet singularis substantia. » (*Poster. Analyt.*, lect. 43).

(2) Sensibile proprium determinat speciem sensationis, sensibile autem commune influit solum in gradum ejus vel modum.

nec per se in sensum agit, nec directè a sensu percipitur, sed tamen ad eum refertur, quoniam intimè conjungitur qualitati quæ directè sub sensum cadit. Ab eâ itaque haud quit separari, et per eam sensibus quodammodo subicitur, ut diximus suprâ de substantiâ corporeâ, et sicut dici posset de lactis dulcedine ad visum relatâ, ex eò quòd arcetè conjungitur cum albedine, quæ est sensibile proprium visus. (Cf. S. Th., in II *de animâ*, lect. 13) (1).

§ II. — De subjecto sensationis (2).

40. Opiniones. Subjectum sensationis est illud in quo excipitur seu perficitur sensatio. Porrò aliud *commune* est omnibus sensationibus, aliud autem *proprium* est singulis. De hoc autem duplici subjecto non conveniunt philosophi. Materialistæ volunt subjectum commune sensationis esse corpus solum, ac sensationem pendere ex temperie seu *dispositione* partium corporis. Econtra spiritualistæ nimii, ut Plato, Cartesius et multi recentes, tenent sensationem ad solam animam pertinere, corpus verò non nisi *instrumenti* gerere vicem. Cæterùm illis opinio est cerebrum esse instrumentum *immediatum* omnium sensationum.

At contra scholastici omnes cum Aristotele existimant subjectum commune sensationis esse *compositum* ex animâ et corpore, subjectum autem proprium seu immediatum variarum sensationum esse diversa organa ad singulas sensationes naturâ deputata.

41. Assertio 1^a: *Subjectum commune sensationis non est corpus solum, aut anima sola, sed compositum ex animâ et corpore.*

PROB. 1^a PARS, quia sensatio est in se una et indivisibilis, magis quidem vel minùs aliquando vivida, sed nullis unquam

(1) Ad sensibile per accidens referri potest quod a recentibus dici solet *educatio sensuum*, quæ generat perceptiones, ut aiunt, acquisitas, vi cujusdam associationis; hoc modo visus et auditus distantiam quadamtenus apprehendunt.

(2) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 3, a. 2, § 2.

partibus composita. Unde subjectum illius unum etiam esse debet. Porro corpus exhibet aliquid compositum ac divisibile; ergo subjectum sensationis esse nequit. — *Confirmatur*, quia sensatio est certa cognitio; eâ enim cognoscuntur corpora et corporeæ proprietates. Sed cognitio præ se fert aliquid unum ac simplex, quod corpori attribui non potest.

PROB. 2^a PARS, 1^o *experientia*; siquidem sensatio in corpore animato recipitur, ab eoque perficitur; nam in certis corporis partibus locatur, v. g. visio in oculis, sonus in auribus, doloris sensus in manu, capite, vel in aliâ parte corporis; item quisque sibi testis est se ipsâ vi sensuum varias sensationes excipere, v. g. videre oculis, audire auribus et ita porro.

2^o *Ratione*. Nam potentiæ natura cognoscitur ex suo objecto. Sed objectum sensationis est corporeum. Ergo etiam organica esse debet potentia quæ ad illud refertur. — Et verò, sensitiva perceptio repræsentat objectum ut *extensum* simul et *unum*. Porro extensio repræsentari non potest concretè et materialiter simul et una, nisi in subjecto extenso simul et uno, quod totam simul extensionem unâ et indivisibili ratione attingat. Sed neque anima, neque corpus est tale subjectum; anima quidem extensa non est, corpus verò totam extensionem unâ et indivisibili ratione attingere nequit. At corpus, animâ unâ et simplici informatum, pollet extensione simulque repræsentare potest extensionem ratione unâ et indivisibili.

3^o *Ex consecrariis*. Quippe adversa opinio vel *materialismum*, vel *occasionalismum* inducit. Vel enim sensationes ex corporum externorum actione et impulsu in animam spiritualem supponuntur effici, vel ab ipso Deo, corporum occasione. — *Si prius*, faves materialismo, quia, monente D. Thomâ, « nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream. » (1^a, q. 84, a. 6, c). Corpora enim non agunt nisi materiali contactu; unde Lucretius:

« Tangere enim et tangi, nisi corpus nulla potest res. » — *Si posterius*, ipsum occasionalismum habes.

4^o *Auctoritate*. Pius enim IX pronuntiavit hanc senten-

tiam quæ « unum in homine ponit vitæ principium, animam « scilicet rationalem, a quâ corpus quoque et motum, et « vitam omnem et *sensum* accipiat, in Dei Ecclesiâ esse « *communissimam*. » (*In brevi ad episcop. Watrislaviens.*, 30 april. 1850).

42. *Scholium*. Quanquam porro, ut allatis constat argumentis, corpus in sensatione non meri *instrumenti*, sed *efficientis* causæ *partialis* munus agit, sensatio tamen magis ad animam quàm ad corpus spectat, cum præsertim consistat in cognitione, corpus autem non nisi per animam sit sentiens.

43. *Assertio* 2^a: *Diversa organa sunt subjectum proprium seu proximum singularum sensationum*.

Probatur 1^o *communi hominum persuasione*; omnes enim, naturâ duce, varias sensationes non tribuunt cerebro, sed in variis ac propriis organis collocant, v. g. visionem in oculo, auditionem in auribus, et sic de aliis, sicut sensum doloris in stomacho, in manu, in pedibus, vel in aliis corporis partibus credunt experiri. — 2^o *Naturâ sensationis*; ex dictis enim sensatio est organica, seu organa apta exigit quibus exerceatur. Atqui variæ sensationes varia ac propria exigunt organa seu instrumenta. At cerebrum non præsefert conformationem aptam ad diversas sensationes exercendas; eam autem apertè exhibent varia seu propria organa; v. g. oculi physiologicè concinnati sunt ad sensationem coloris excipiendam, auris ad sonum, et ita porro de aliis sensationibus.

Nec *objectioni* est quod læso cerebro, vel impedità communicatione inter ipsum *cerebrum* ac diversos sensus, omnis impeditur sensatio. Hoc quidem probat cerebrum esse *conditionem sine quâ non* sensationum, minimè verò causam *efficientem*. Revera, ut mox dicemus, diversi sensus, ceu rivuli quidam, vim suam hauriunt ex sensu communi, qui suam sedem habet in cerebro; unde in cerebro *sociantur* omnes sensationes et in eo homini evadunt *consciæ*. Verùm tamen, ut quisque naturaliter experitur, organa externa et propria varias sensationes *immediatè* excipiunt. Quo in sensu cum scripturâ sacrâ dicere juvat: « Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque » (*Prov. xx, 12*).

§ III. — De Naturâ sensationis.

44. *Opiniones.* Si fides multis recentibus philosophis qui Cartesium sequuntur, sensatio est phænomenon merè internum sive subjectivum, omnino passivum, quod ab actione corporum externorum in animâ excitatur, in quâ certam emotionem producit, cui *succedit* aliqua perceptio, quam ipsi intellectui tribuunt.

At contra cum plerisque veteribus philosophis scholastici sensationem ut propriè dictam cognitionem seu perceptionem habent. Licet enim, ut aiunt, sensatio in subjecto sentiente efficiatur, tamen minimè continetur in illo, sed est essentialiter representativa et objectiva, siquidem representat objectum aliquod corporeum, subjecto sentienti externum, in spatio determinato repositum.

Porrò in eo consistit cognitio seu perceptio externa, quòd subjectum cognoscens quodammodo trahit ad se objectum, et ipsius in se certam repræsentationem format; hinc illæ voces quibus cognitio appellari solet: *apprehendere, capere, animo tenere*, quibus indicatur cognitum in cognoscente recipi juxta suam imaginem. Cùm econtra significare volumus amissam a nobis esse alicujus objecti cognitionem, dicimus illud ab anima nostrâ *excidisse, egressum, elapsum* esse.

45. *Assertio*: Sensatio cognitionem et actionem aliquam præsefert.

PROB. 1^a PARS persuasionem communi et conscientie testimonio; his enim vocabulis varias sensationes appellamus: *tango, audio, video, olfacio*; hæc autem verba significant sensationem nobis representari varias corporum qualitates, seu tot cognitiones seu perceptiones esse, quot sunt sensationes.

Confirmatur quia, ut S. Thomas cum Aristotele sagaciter notavit, « sensus a nobis diliguntur non solum propter hoc quòd utilitatem ad vitam conferunt, sed etiam propter seipsos, in quantum cognoscitivi sunt. » (In *I Metaph.* lect. 1^a).

PROB. 2^a PARS, quia verba jam usurpata quibus sensationes

designamus: *tango, audio, video, olfacio*, actionem aliquam apertè significant. Insuper, ex dictis, sensatio quælibet præsefert cognitionem; sed cognitio includit actionem subjecti cognoscentis.

46. *Corollarium 1^{um}*. — Sensatio neque *reflexionem*, neque *comparationem* præsefert; reflexio enim et comparatio sunt facultatis spiritualis, qualis est intellectus, non autem sensitivæ. Per se igitur *spontanea* est sensatio, etiam cum eam per conscientiam animadvertimus. Aliquando tamen ita sponte fit ut ad illam non advertamus, sicque *apperceptionem* seu conscientiam nostram lateat.

In summâ igitur sensuum cognitio nihil intellectuale, aut spirituale includit, tum quia tota refertur ad res materiales, ut materiales; tum quia non propriè attingit *veritatem*. Quamvis enim, ut docet D. Thomas, sensus apprehendant objecta prout sunt in seipsis, non tamen propriè *veritatem* dignoscunt. Cùm enim veritas sit conformitas cognitionis et rei cognitæ, « conformitatem istam cognoscere est cognoscere *veritatem*. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit *comparationem* quæ est inter rem visam, et id quod ipse apprehendit de eâ. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest... » quando *judicat* rem ita se habere, sicut est forma quam de « re apprehendit. » (1^a, q. 16, a. 2, c).

47. *Corollarium 2^{um}*. — Licet sensatio non consistat, ut volunt recentes, in aliquâ emotione, tamen eam sequi potest et sequitur sæpe aliqua emotio grata vel ingrata, prout placet vel displicet objectum sensibile perceptum. Attamen emotio non proportionatur semper sensationi, nec in diversis hominibus, nec in eodem homine; imo aliquando inversam rationem sequitur. — Demum, quædam sensationes, ex repetitione suâ vix ullam deinceps emotionem afferunt.

§ IV. — De actu sensationis (1).

Actus sensationis ex duplici causâ originem ducit, nam corpora in facultatem sensitivam agunt eamque *excitant*, ipsa verò reciproca vi intendit in corpora eaque percipit. Res declaratur duplici propositione.

48. PROP. 1^a: *Corpora in sensus nostros agendo imprimunt species seu imagines sui repræsentativas.*

Probatur cum Aristotele (*De animâ*, l. II, c. 13, § 1, et l. III, c. 2, § 3) et omnibus scholasticis.

Colligitur 1^o ex *observatione*, saltem *indirectè*, nimirum ex phænomenis imaginationis et memoriæ. Imaginatio enim et memoria rerum actionem immediatè non excipiunt, et innumeras tamen exhibent imagines rerum, a *singulis* sensibus perceptarum, ita ut mundum sensibilem, clausis oculis aliisque sensibus, præ oculis habeamus. Porrò imaginatio et memoria imagines istas rerum minime referrent, nisi ex variis sensibus externis collegissent ac forent velut *thesaurus* formarum ab iis acceptarum. (Cf. S. Aug. *Confess.* l. X, c. 8, 9).

PROB. 2^o directè *ratione*, tum ex effectu actionis corporum in sensus, tum ex *naturâ* potentiæ sensitivæ. Etenim, corpora in sensus nostros agere constat; quippe vim eorum experimur, majorem vel minorem, pro eorum mole vel distantia. Si autem, ex unâ parte, omnis effectus repræsentat suam causam, ut agentem, et si, ex aliâ parte, corporum actio recipitur in potentia animata et sensitiva, non potest non referre ipsam eorum imaginem.

Idem sequitur ex *naturâ* potentiæ sensitivæ. Sensus enim est potentia passiva; siquidem transit ex potentia ad actum; nec ad actum transit, nisi ab objecto determinato moveatur. Sed est etiam potentia cognoscitiva, ut jam probavimus (n. 43-44). Porrò ut ibi etiam ostendimus, cognitio perficitur, quatenus cognitum trahitur ad cognoscens, imò in cognos-

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 3, a. 2, § 3.

cente aliquo modo recipitur. At objectum corporeum, cum materiale sit, animam ingredi et cum eâ immediatè conjungi minimè potest. Ergo restat ut non per se, sed per suam speciem vel imaginem repræsentativam ingrediatur animam (1), eamque ad seipsum cognoscendum moveat et determinet, ipsi se veluti sistens, et se ab eâ cognoscendum quodammodo provocans, ut dicit eleganter D. Augustinus: « Corporalia formas suas quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, ut pro eo quòd nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. » (*De civit. Dei*, l. XI, c. 27, et *de Trinit.*, l. XI, c. 2).

49. *Scholium de naturâ speciei sensilis.* Ut sincerè capiatur notio speciei sensilis, videndum est quænam sit ejus causa seu origo. Oritur porrò primariò ex actione seu impressione corporum in sensus. At duplex distingui debet impressio corporum: alia *materialis* ac *physica*, recepta in organo, quatenus ipsum est quid physicum; alia autem *immaterialior*, quæ recipitur in organo, quatenus animato et sentiente.

Vi prioris, organum non nisi materialiter afficitur; v. g. manus fit calida cum a flammâ attingitur; vi posterioris, organum sensûs, utpote vi cognoscitivâ præditum, afficitur ipsâ specie seu imagine objecti quæ illud concretè repræsentat; v. g. oculus simul ac movetur ab objecto visibili, excipit ejus imaginem, quâ ipsum percipit sibi repræsentat.

In priori igitur casu, objectum recipitur in subjecto cognoscente secundum suum esse physicum; in posteriori verò secundum suum esse *intentionale*, seu repræsentativum, ut loquuntur scholastici.

Porrò, sensatio consistit propriè in specie sensili, a corporibus externis in organum sensûs impressâ; quæ species latiori sensu dicitur immaterialis, et per oppositionem ad materialem objecti impressionem in organum physicum, ut tale. Ipsa tamen, quanquam simplex sit, strictè immaterialis

(1) « Sensus est susceptivus specierum sine materiâ, sicut cera recipit signum annuli sine ferro et auro. » (In II *de Animâ*, lect. 24).

nequit vocari, cùm pendeat a materiâ; siquidem in quodam organo recipitur, et repræsentat objectum aliquod materiale, præcisè ut materiale seu extensum et concretum. Hinc D. Thomas: « Oportet quod sensus corporaliter et materialiter recipiat speciem rei quæ sentitur. » (in II *de Animâ*, lect. 12).

50. PROP. 2^a: *Potentia sensitiva cum objecto agit ut speciem objecti in se excipiat, et eâ receptâ, movetur ad objectum ipsum percipiendum.*

PROB. 1^a PARS, quia potentia sensitiva, licet passiva, quatenus movetur ab objecto, certâ nihilominus activitate, imo et spontaneitate prædita est; unde simul ac movetur ab objecto, ei activè respondet et ejus impressionem sibi assimilât. — Præterea species, ex dictis, præsefert objecti repræsentationem; porrò ista repræsentatio non solum fit in subjecto, sed a subjecti actione procedit, cùm subjectum ipsum sit *spectator*.

PROB. 2^a PARS, quia species sensilis oritur ab actione seu impressione ipsiusmet objecti, sive objectum immediatè in sensum agat, ut in sensatione tactûs, sive mediatè solum, ut in aliis sensationibus. In omni enim casu, species afficit subjectum, ipsumque movet ad objectum percipiendum, cùm ipsa, ex dictis, imaginem objecti præseferat.

51. *Corollaria.* Hinc sequitur 1^o perceptionem corporum esse *effectum communem* actionis corporum in sensus et reactionis sensuum (1); 2^o perceptionem esse *objectivam* et *immediatam*. Est objectiva, quia oritur ex actione seu impressione objecti in sensum, tanquam a *primariâ* suâ causâ; est immediata, ut ipsa conscientia testatur. Et ratio est, quia ut clare monet D. Thomas, species sensiles sunt instrumentum quo unimur objecto, seu id *quo* percipitur objectum, non autem id *quod* percipitur (2). Ipsæ siquidem, velut modestæ quæ-

(1) « Actus sensibilis et sensitivi est unus subjecto, sed differunt ratione. » (S. Th., in III *de Animâ*, lect. 2^a). — « Sensus in actu est sensibile in actu, quia ex utroque fit unum, sicut ex actu et potentiâ. » (1^a q. 55, a. 1, ad 2).

(2) Species sensilis, quatenus oritur ab actione seu impressione objecti.

dam ostiariæ, rerum fores, prout suum est munus, sensibus aperiunt; at sese non ostentant, quin econtra subducunt se ab oculis.

ARTICULUS II

De sensibus externis.

Sensus externi hoc appellantur nomine, tum quia præseferunt organa externa, tum quia res externas percipiunt. — Dicendum: 1^o De illorum numero; 2^o de comparatione inter illos.

§ I. — De numero sensuum externorum.

52. *Opiniones.* Pervulgata sententia est quinque sensibus externis hominem donari, nempe visu, auditu, odoratu, gustu et tactu, nullumque præter eos alterum existere.

Nihilominus Lockius et Balmès (*Philos. fundam.*, t. I, l. 2, c. 17) dubitant utrùm in homine sint alii externi sensus; et quidquid sit de statu *præsenti*, arbitratur Balmès cum Lamennais, novum sensum externum homini contingere *posse*.

53. PROP. 1^a: *Nonnisi quinque sensibus externis homo instruitur.*

1^o Tot sunt homini sensus externi, quot externa organa ad sentiendum apta. Porrò non sunt homini nisi quinque organa ad sentiendum apta, nempe oculi, aures, nares, lingua et manus. Probatur *major*, eò quòd vis sentiendi organica sit, et, experienciâ teste, non exerceatur nisi ope organorum quorundam distinctorum et *specialium*.

2^o Dubitatio Lockii et Balmès nullo fundamento innitur. Nam quæ afferunt in *sexti* sensûs gratiam probant solum

dicitur *impressa*; vocatur autem *expressa*, quatenus exprimitur a subjecto percipiente objectum. At hæc duo *simul* fiunt, nec sunt duæ entitates distinctæ, sed eadem res sub duplici respectu considerata. Quare nec viget *realis distinctio* inter sensationem et perceptionem; utraque est effectus communis unius objecti et ejusdem potentiæ sensitivæ.